



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VIII. Studia Legatorum ad emendationem statuendam, abigendasque suspiciones, quòd ea ab ipsis declinaretur. Decretum de electione Episcoporum, ad futuram Sessionem repositum. Adhibitum studium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

exitus suo loco narrabitur. Interim ad communia reuertemur: sed
 cum commune non nisi mixtum quoddam sit, conflatum ex ho- 1563.
 minibus peculiaribus, effectus quidam eorum voluntatum, quod-
 dam instrumentum ipforum vtilitati seruiens; nihil potest probè
 percipi, aut probè referri de negotijs communibus absque pluri-
 ma notitiâ, plurimaque narratione operum peculiarium, quem-
 admodum ad mixti doctrinam opus est studio, per quod præcipuo-
 rum elementorum ingenium innotescat.

C A P V T V I I I .

*Studia Legatorum ad emendationem Statuendam, abigendasque
 suspiciones, quòd ea ab ipsis declinaretur. Decretum de electione
 Episcoporum, ad futuram Sessionem repositum. Adhibitum Stu-
 dium ad munia minorum Ordinum indaganda, & de ijs con-
 stituta. Decretum propositum aduersus Episcopos Titulares;
 sed à maiori parte postea reiectum. Mandata Pontificis de loco
 & honoribus exhibendis Oratori Hispano in solemnibus Ecclesiæ
 festis. Grauiissima tumultuatio hinc excita festo diui Petri die.*

Cum recolerent animo Legati^a ea quæ dicta fuerant ab Epi-
 scopis in Conuentibus, & extra Conuentus ab omnibus, ni-
 hil magis necessarium arbitrabantur & dignitati & volupta-
 ti communi, & salutari coniunctioni, quàm ex animis euellere su-
 spicionem altè defixam, quòd ipsi ab Ecclesiæ, ac præcipuè Roma-
 næ Aulæ emendatione abhorrent. Quam suspensionem aluerat ex
 parte celebris Lainij sermo, de quo diximus; eamque latius diffu-
 derat per hominum ora, & hinc per animos (inter quos & ora
 mutua communicatio intercedit) fortuita quædam facetia. Dum
 Nicolaus Pfaulmeus Benedictinus, Episcopus Verdunensis suam
 sententiam dicebat, vsus acerbâ libertate, & in mordacitatem de-
 generante de Aula Romana, contigit vt Sebastianus Vanzius Vrbe-
 uetanus Antistes, ad proximos sibi conuersus, dixerit: *Nimum can-
 tatis Gallus.* Eo audito, Petrus Danesius Episcopus Vaurensis, ad
 quem Vanzius haud mentem adiecerat, subiecit: *Vtinam ad huius
 Galli cantum excitaretur Petrus, & fletet amarè.* Quod dictum, vtpote
 gemino illo sale conditum, exceptum pariter ac vulgatum est ge-
 mini saporis sensu, habuitque vim quamdã popularem apud
 multitudinem, quæ Tridentum id temporis confluxerat: quam
 X x x 3 vim

^a Cuncta in
 Actis Falcot.

1563.

vim sæpè huiusmodi argutiæ magis obtinent, quàm solidæ rationes, perinde ac si qui fortuito aliquo acumine præcellit, etiam causâ præpöleat. Idcirco Legati accersitis Patribus, à Synodo ad emendationem conficiendam selectis, iniunxerunt, vt sententias à singulis Præsulibus prolatas super Decretis per ipsos digestis restringerent pro maioris partis consensu. Quod spectabat ad electionem Episcoporum, necesse fuit ad aliam Sessionem rem protrahi. Etenim præter varias difficultates in singulorum sententijs allatas de parato ad id Decreto, quod Ordine primum erat, complures alias congeffit, communicauitque Patribus ad ea destinatis, Melchior Cornelius Senator Lusitanus, ad hoc opus electus ab Oratoribus Principum; quorum Principum arbitrium in Episcopis nominandis tantum minuebatur, quantum multiplicabatur numerus dotium, quibus ad huiusmodi gradum opus erat. Quare indies magis experimento probabatur, minorem partem illius arduitatis, quâ Pontifex oneratus fuerat ob lentitudinem reformandi, illi tribuendam esse, eumque non parum optasse bonum, sed multum obstacula præuidisse. Et quoniam Lotharingus, cui complures adhærebant, sicuti narrauimus, auctor fuit, vt exquirerentur in antiquitate, ac renouarentur varia variorum Ordinum minorum munia, ad id plurimo studio desudatum est, eo consilio, vt eorum summa in alijs Decretis apponeretur. Verum in postremo cœtu aliud consilium susceptum, cum expenderetur, post tantam consuetudinum varietatem, quam fert diuturnus temporis cursus, difficulter fieri posse, vt integer singulorum ritus Ecclesijs redderetur: satius igitur esse eorum nomina recenseri, & opera generatim commendari ad secundi capitis finem, præcipue verò curari, quoad fieri posset opportunè, per emendationis decreta, vt in usum reuocarentur.

Sublatum quoque fuit id quod statui parabatur aduersus consuetudinem Episcoporum ex mero titulo. Etenim vt in ædificijs, perinde in magistratibus multa videntur ad luxum, quæ, cum eorum amotio tentatur, apparent ad rectum usum inducta. In comperto est, Ecclesiæ necessarium esse moderatum quemdam numerum Episcoporum, quibus citra sui gregis detrimentum liceret subseruire alijs in suffraganeorum munere, & à Romano Pontifice legari Nuntios, & ad alias Episcoporum functiones adhiberi.

Præ ceteris comprobatum est, vt Seminaria instituerentur: adeò vt complures affirmarent, vbi nullus alius fructus ex eo Concilio decerpitus fuisset, solum hunc labores omnes & incommoda

com-

compenfaturum; quippe vnicum adiumentum, quod efficax ad reparandam collapsam disciplinam agnoscebatur, cum certa sit regula, in omni Republica tales haberi ciues, quales educantur. 1563.

4 Nondum hæc maturuerant, cum turbo excitus est, mero vento conflatus, qui speratæ messis adhuc herbescentis deiectionem, & Ecclesiæ totius cladem minabatur. Adhuc accensa subsistebat, tamen quasi cinere oblecta, controuersia inter Oratores duorum potentissimorum Regum: siquidem cum ea plus minusve extincta videretur ob mandatum Pontificis, & Gallorum consensum, quod ad cætus Sessionesque spectabat; nihil tamen aut à Pio iniunctum fuerat, aut inter partes compositum de solemnibus Ecclesiæ festis, in quibus offendebatur difficultas, sæpè recensita, de osculo pacalis imaginis, & thuris suffitu. Studuerant Præsides temperamentum inuenire, sed absque fructu, quando nec Hispanus acquiescebat ritui, quo apertè inferior appareret, neque Galli vlli iudicio, quo pares aut essent aut esse dubitaretur. Quapropter Lunensi haud cessante, locum sibi suoque Principi honorificum poscere in memoratis functionibus, Præsides denuò ad id à Pontifice mandata petiere, illum rogantes, vt vbi vellet in hoc etiam Hispanis gratificari, id ipsis præciperet per suam propriam ac disertam epistolam, quæ veluti quidam clypeus eosdem omni tempore tueretur. Pontifex quotidie vexatus, non huius minus quàm alterius etiam rei gratiâ, ab inflammatis Auræ ac Vargæ postulationibus, animaduertens priora ipsius mandata sine formidatis fragoribus processisse, ob easdem rationes induxit animum ad posteriora tradenda, & consimilem successum sperauit. Scripsit igitur ad Legatos nono Iunij huiusmodi litteras: *Regis Catholici Oratores enixè nos efflagitant, vt sicut tributus ipsis locus est in Conuentu & Sessione, ita in Sollemnibus sacrificijs honor pacis ac thuris eisdem exhibeatur, adeoq; nullum inferatur eorum prerogatiuis detrimentum; aliter enim Lunensem ad discessum coactum iri. Nobis, quippe intelligentibus, præcipuum id temporis fundamentum ad Fidem Catholicam sustinendam in Hispaniæ Rege, eiusq; ditionibus situm esse, ea illi denegare non licuit. Eapropter efficietis, vt quo tempore pacis ac thuris ceremonia Regis Christianissimi Oratoribus exhibebitur, per alium ministrum Lunensi exhibeatur: in quo eâ vtemini dexteritate, quæ vobis opportuna videbitur, dummodo hæc iussa omnino perficiantur, atque hæc omnia intelligantur absque detrimento iurium vtriusque partis. Pro viribus pergite in disciplina legibus sancientis, quò nihil gratius præstare nobis poteritis.*

^b Cuncta perstant in lit. Legat. ad Pontif. 22. & 29. Iun. Vicecom. 30. Iun. & Iadrensis 1. Iul. in Actis Paleotti, & Salmanticæ; in Diario, & Comment. seu narrat. impressa in libro Gallico memor. & in alta, contenta in volumine Archiuij Vaticanani inscripti, Tomus quintus de Concilio.

5 Hanc epistolam duæ insuper Borromæi comitatæ sunt, prior eodem 69. & 72. Iunij 1563.

1563. eodem die, altera post triduum obfignata. In illa commendabatur & profundissimum silentium cum singulis, excepto Lunensi, & quàm maxima posset suauitas, modò res perficeretur: committabatur æqualitas in cunctis conditionibus vtriusque ministris, qui pacalem incunculam & thuris suffimentum erant exhibitori, & electio alicuius diei solemnis ad rem peragendam, cuiusmodi forent aut peruigilium aut dies festus S. Petri. In altera dicebatur, haud gratum Pontifici futurum, si res tunc ita sibi contingeret, vti cum iussit locum Lunensi tribui in Conuentu, cum ille postea significasset, id iussu Pontificis peragi, vnde Synodus dissoluenda penè fuit. Idcirco si vbi ad rem ventum esset, oporteret exponi, id iussu Pontificis agi: simul etiam palàm fieret, id à Rege Catholico postulari, aliter verò Lunensem Tridento secessurum fuisse; adeoque Pontificem, cum animaduerneret quò pacto negotium Religionis in Gallia sese haberet, nolle præter Galliam Hispaniam quoque deperdere.

Legati exceptis mandatis, Lunensem de illis monuerant vigesima⁶ secundâ Iunij, paucas ante horas quàm ille cursores equos incenderet, Oenipontem iturus. Is verò, siue desiderio arduitate rei sibi obtegens, siue studens Legatis illam obtegere, quò animaret ad opus, illis spem fecit rem pacatè processuram, quantum ipse de Gallorum animo conijciebat: eos tamen rogauit, vt per Drafcouizium Gallos tentarent, arcano tamen haud illi detecto; sed eisdem denuò cohortaretur ad suscipiendum consilium duplicis thuris, & paciferæ imaginis, vtpote iam à Cæsare propositum. Drafcouizius ea de re cum Lotharingo collocutus est; sed habita rei mentio idem fuit ac accepta repulsa. Inde progressus ille est in colloquio cum Lotharingo ad aliud temperamentum, videlicet, vt eodie illorum neutri pax & thus exhiberetur, quæ ratio atate Julij vsurpata est, ad euitandam contentionem inter Oratores Lutitanum & Hungarum, sicuti ibi narrauimus. Sed neque id Lotharingo probatum: qui tandem interrogatus à Drafcouizio, quodnam ipsi consilium occurreret, non tamquam Gallo sed tamquam Cardinali, bonique publici studioso, duo protulit: alterum, vt Lunensis accederet ad sessionem sub finem Sacrificij, & peractis iam illis ritibus, de quibus erat æmulatio; alterum, vt thus & pacis honor exhiberetur Lunensi post cunctos Oratores; per id nihil detractum in dignitatis: nam quemadmodum sedebat in loco seiuncto ab ordine reliquorum, ita ipsi licere omni suo iure illæso honores illos excipere, postquam eos vniuerso reliquorum ordini ministri præstitissent; idque comprobari posse exemplo illic citra omnem repugnan-

pugnantiam vsurpato: siquidem nec Orator laicus Cæsaris, neque Gallici dedignabantur thus ac pacem excipere post Oratores Poloniæ & Sabaudia, eò quòd hi essent Ecclesiastici, adeoque in diuersa serie confidentes, cui integrè thuris ac pacis honor deferebatur, & postea ad laicorum seriem fiebat accessus. Sed nihil magis Drascouizio satisfacere quæ Lotharingus proposuit, quàm antea Lotharingo ab altero proposita. Quare Drascouizius significauit Legatis, concordiam à se planè desperari.

7 Redijt Oeniponte Lunensis ad vesperam vigesimi septimi Iunij, dum omnes in cœtu morabantur, adeoque non nisi postero manè de re agi potuit. Tunc verò Legati exposuerunt duritiam, quam Drascouizius offenderat, ac denuò reuocarunt ob oculos turbarum pericula; sed simul se paratos obtulerunt, vbi quidem ipse vellet, ad rem exequendam. Excepit oblata Lunensis, ac rursus ostendit, vix à se de tumultu timeri dum res perageretur, si ea Gallis accideret ex improviso; re autem peractà eisdem, ne palàm facerent se cessisse, suoque officio defuisse, vt par erat, non reluctatos, pernegaturos esse, rationem adhibitam sibi detrimento fuisse, & ita minimè conquesturos. Dixit tamen, à prandio se aditurum Legatos, quòd cum ipsis consultius de agendi modo concordaret. Sed peculiaris cœtus, in quem coram illis ante vespertinas preces conuenere duo Cardinales, & alij Præsules, seu potiùs quædam Lunensis ars, vti dicitur, hoc colloquium impedijt, & Legatos in ancipiti reliquit de consilio quod ille susceperat; nec extra spem, hominem (quasi ad labrum fossæ, veritum ne casurus esset in turbas ab ipsius Rege iam vetitas) saltu superfessurum: idcirco curæ ipsis non fuit eum per nuntios stimulare. Sed manè dum Præsides Oratoribus ac Patribus cingebantur, & propè erant vt gressus ad functionem conuerterent, casu ipsis in aures dictum est, à Lunensi accessum cum aliquot Præsulum comitatu parari. Tunc illi, qui rem occultissimam ad eam vsque horam custodierant per quàm arctissimum potuerunt arcanum, ei qui erat à Secretis imposuerunt, vt sellam deferri iuberet in sacrarium, & parari thuribula, atque externos Presbyteros acciri, quòd integra illa æqualitas seruarietur, à Pontifice adeò commendata. Neque quidquam earum rerum eo breui temporis spatio, quod ante Sacrificij celebrationem effluxit, Gallis suboluit: sed postea templum ingressi cum Legatis, suisque in sellis absque suspitione confidentes, conspicati sunt illicò, antequam res sacra inchoaretur, quæ celebrabatur eo die ab Episcopo Augustensi, Sabaudia Oratore, ingressum Lunensem, & sellam

Pars III.

Y y y

ipsi

1563.

ipſi collocatam in loco extra ordinem, vt in habitis colloquijs ſtatutum fuerat. Erat hic locus non qualem occuparat in cœtibus, propterea quòd alius theatri ſitus id minimè patiebatur: ſed pro eo quod Pontifex deſignarat, ante quamdam columnam, ſupra Patriarchas, modico ſeiunctus interuallo ab ordine ſellarum altiore, Cardinalibus deſtinato: quare conſidebat velut è regione laicorum Oratorum; nam Oratores Eccleſiaſtici alibi locum obtinebant ad Præſidum dexteram, aliàs à nobis explicatum. Hac rei nouitate commoti Galli; & Lotharingus acriter conqueſtus eſt cum Legatis, præſertim quòd ne verbum quidem ſecum fuiſſet habitum; & ingens inter Patres ſufurrus exciſus. Sed non tantam ſuſpicionibus ſermonibusque materiam præbebant præterita, quàm futura. Oratores Galli aliquantulum inter ſe muſſitantes, Cæremoniarum Magiſtrum ad ſe accerſitum percunctati ſunt, quid agere cogitaret de thuris ac pacis ritu; auditoque ſuſcepto conſilio, illum miſerunt cum acerbiffimis querimonijs ad Legatos, ad minas conſteſtationum regreſſi. His Oratorum obnuntiationibus addidit Lotharingus, qui prope Legatos aſſidebat, plurimas illis conſimiles, affirmans, apud Oratores eſſe diſertum Regis mandatum prouocandi coram Synodo, & conſteſtandi aduerſus Pium tunc Pontificem, quem ipſi haud legitimum exiſtimabant, aientes, illum per timoniam electum fuiſſe, & penes Gallix Reginam eſſe litteras Pij manu conſcriptas, id comprobantes. Poſt hoc velut exploſum tormentum, ſtrepitu quidem horribile, ſed pilâ non validum, ſicuti palâm fiet, addebatur: Vbi etiam legitimus fuiſſet Pontifex, ab eo prouocaturus, tamquam à Pontifice tyrannico, qui deponi merebatur ex notoria iniuſtitia quam exercebat, dum antiquâ poſſeſſione ſpoliabat Regem pupillum & innocentem, ne audirâ quidem illius cauſâ; adeoque ſe deiunctum iri à Pij obedientiâ, adiectis conſteſtationibus, ſe numquam ad eam reuerſuros, donec alius æquus Pontifex ſpoliatum Regem redintegraret. Prænuntiabat præterea Lotharingus, cunctos Gallos ſecefſuros, conſultorofque rebus Gallix per proprias Nationis Synodos, aut aliâ ratione, niſi fortè ipſorum quiſpiam ibi perſtitiffet ad deteriora molienda.

Non omiſere Legati factum ſuauius excuſare, vſi normâ prudentium miniſtrorum, vt cum cogantur inferre moleſtiam alicui Principum factis imperatis, nihil ipſum exaſperent verbis voluntarijs. Delata vtrimque per internuntios ad Præſides & Oratores, vique ad finem Euangelij perdurarunt; idque interuentu Muglitij ac Draſcouizij peragebatur, qui, vtpote primi inter Oratores Eccleſiaſticos,

1563.
 fasticos, admodum prope primum Legatum confidebant. Denique cum esset inchoanda concio, & murmur in fragorem migrasset, Præsides in sacrarium se contulerunt cum duobus Purpuratis, & Oratoribus Cæsareis ac Polono. Lotharingus acciri voluit pro altera parte Ferrerium, Archiepiscopum Senonensem, & Episcopum Aurelianensem, & pro altera Guerrerum. Hic illis retulit, Se fuisse cum Lunensi collocutum, & ex ipsius mandato exponere, ipsum cupere ut mandata Româ missa peragerentur, in quibus se reponebat: tamen cum denuò audiuisset Legati ab eodem Guerrero, vetari Lunensem in Regis mandatis amicitiam cum Gallis abruptum, dixerunt, cautè procedendum, ne Synodus solueretur, & cuncta Pontifici vitio verterentur. Sic illi ad Hispanos. Ex altera parte iterantibus Gallis denuntiationes minasque, Legati eos mitigare studuerunt, affirmantes, cuncta peragi sine illorum detrimento, & saluis expressè eorum iuribus: id non modò decretum initio fuisse à Synodo de quocumque loco, qui illic cuius hominum tribueretur; sed in epistola peculiari Pontificis declarari, & in præsentia offerri à se cuiuscumque legitimæ fidei cautionem: Oratorem Regis Hispanici cogi non posse, ut alijs inuitus cedat: quem admodum consenserant Galli, ut ille in loco extra ordinem sederet; ita consentire posse, ut modò extra ordinem illi thus & pax porrigantur. Sed omnis adhortatio irrita; cum existimarent Galli, cunctas denuntiationes & cautiones esse velut arma aërea & chartacea, facta verò res solidas; & ubi semel inducatur quomodocumque possessio, obtinentis conditionem nimis euehi. Quamobrem Legati Guerrerum misere, qui Lunensi proponeret, acquiescèntis quietis gratiâ, si eo manè thuris ac pacis honor nulli Oratorum exhiberetur, confirmato tamen prompto ipsorum animo ad complenda ipso petente Pontificis mandata. Acquieuit Lunensis, executione Pontificij mandati in aliud solemne festum reseruatâ; quod tamen post triduum aut quatrimum secuturum erat, tamen & Legatis, & fortasse ipsi Lunensi spes inerat, controuersiam interim per negotium in concordiam adductum iri: aut certè adhibitis cum Præsulibus Italis, Hispanis, ac Germanis, opportunis studijs, tunc præpeditis ab iniuncto arcano (quod si offensas procul arcet, simul impedit auxilia) Præsules illos rem sustentaturos, reiecturosque verba contumeliosa, à Gallis in Pontificem parata, adeoque sublatâ Gallicâ natione, reliquos omnes honorificè ac reuerenter de Pontifice locuturos: quod in tam multiplici ingeniorum varietate sibi polliceri non poterant in re improuisa. Verum
 Yyy 2 Legati,

1563. Legati, habitâ ratione hinc disertæ Pontificis iussionis, hinc reuerentiæ debitæ Regi Catholico, in cuius gratiam id præcipiebatur, studuerunt in hac mandati præteritione cautè tutoque se gerere, quò neuter eorum Principum id ipsorum culpæ imputaret. Et idcirco per Madruccium, Drafcouizium, & Polonum idem quod antea de integro proposuere Lunensi; eandemque responsionem ab eo retulerunt. Iam verò quamuis huiusmodi consilium de thure ac pace omittendis, à Drafcouizio elapsis diebus propositum, Lotharingus reieciisset; tamen in illis rerum conditionibus considerant Galli, si adhuc ipsi obdurescerent, coactum iri Legatos ad exequenda mandata, seque reipsâ causâ casuros, & abalienatos à Pontifice, si illi nocerent, maius fortasse detrimentum illaturos fuisse suo Regi, ætate parum firmo, minusque dominatione, & quasi adacturos Regem Hispaniæ ad se ab ipsis seiungendum, Piumque sustinendum, ut qui in ipsius gratiam ea turbamenta pateretur. Præterquam quod dum animum nimis inflexibilem præferrent, deteriorem apud Synodum & extraneos suam causam reddidissent: humana quippe mens proclivis semper est ad ferendam sententiam in eum qui honestam concordiam recusat. Postremò, tamquam Christianis, ac tamquam hominibus, horrore erat, se ministros esse cladum Christiani generis, & orbis terrarum.

¶ In schedula
Vicecom. si-
gnata 30. Iu-
nij 1563.

¶ Litteræ Vi-
cecomitis ad
Borromæum
30. Iun. 1563

Nonnemo etiam retulit, Gallos ^d ex nescio quo Legatorum actu suspicatos fuisse, si ipsi contestarentur, illos velle actutum ad Synodi suspensionem progredi. Quacumque potissimum causâ permoti fuerint, tandem ad hoc temperamentum deducti sunt, ut eo manè memoratus honor non modò non adhiberetur Oratoribus, sed ne ipsis quidem Legatis, quò ab ordine superiore rei nouitas initium duceret. Legati verò intelligentes, ubi ipsi repugnarent, in seipos vituperationem, odiumque tanti dissidij reiecturos, facillè confesserunt. Ita Sacrificium, quod interruptum fuerat, continuatum: temporis enim spatium, à concione occupatum, dissensionis componendæ minimè suffecerat. Et Sacro peracto Hispanus Orator ^e, cui mos erat è cœtibus egredi post Legatos, primus & ante Crucem egressus est.

Breuius hisce inducijs potiùs quàm pacificatione illius parati conflictus, animi ex horrore præsentis aliquantulum respirarunt, sed agitabantur sollicitudine futuri, quam si melior hinc spes solatur, hinc acriùs cruciatur liberior quidam ac minus hebes rationis obtutus.

CAPVT